



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput VI. a Idem Gregorius Narsi Patricio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

## NOTÆ.

<sup>a</sup> *Dem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. c. 12. & reperiuntur hæc verba inter opera ipsius Bedæ ad cap. 2. D. Marci.  
<sup>b</sup> *Necessitas facit.*] Ut probavi in cap. si

*propter necessitatem, de furtis.*  
*c Pugnabant.*] Factum hoc Machabæorum exposui in cap. 1. de treug. & pace.  
*d Egrotus.*] Lege enim jejuniij non tenentur ægroti, & senes, ut probat Narbona de astate ad actus humanos, anno 60. Gibal. hic.

## CAPUT V.

<sup>a</sup> Gregorius VII.

Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum est, nulla debet stabilitate sub-  
sistere.

## NOTÆ.

I. <sup>a</sup> *Gregorius.*] Malè in hac sexta collectione, & in prima sub hoc tit. c. 4. legitur Gregor. VII. cum sit D. Gregorii Magni, & reperiatur in Registro epistolarum ipsius, libro 2. indict. 11. epist. 54. Ioanni Episcopo Ravennati missa, in qua reprehendit ipsum Ioannem, quia pallio extra Missarum solennia utebatur, cum tantùm intra & certis diebus eo uti posset iuxta tradita in c. 1. de auctorit. & usu pallii: & quia consuetudinis prætextu excusabatur, ita post alia ait: *Nam & de ipsa consuetudi-*

*dine tua, quam opponis, Ecclesie qua vobis olim, ut à partibus vestris probaretur, scripsimus, iam non satis sollicitudinem gessisse cognoscite, inquirentes filios nostros Petrum Diaconum, atque Gaudiosum Primicerium, necnon & Michaëlium defensorem Sedis nostræ, vel alios, qui pro diversis responsis Ravennam a nostris decessoribus sunt transmissi, & hæc te in presentia sua egisse districte negaverunt. Apparet igitur secretò non potuisse geri, nisi quod usurpabatur illicitè: unde quod latenter subintroductum est, nulla debet stabilitate persistere.* Gibalinus hic.

## CAPUT VI.

<sup>a</sup> Idem Gregorius Narzi Patricio.

**D**um contemplationis dulcedinem altè descripsistis, ruinæ meæ mihi gemitum renovastis, quia audiivi quid intus perdidisti, dum foris ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me percussum mœrore agnoscite, ut vix loqui sufficiam: oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident. Triste est quicquid aspicitur, quicquid delectabile creditur, cordi meolamentabile apparet. Pense enim, ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quantum dejectus exterioris proventus culmen ascendi: & pro culpis meis in occupationis exilium à facie dominantis missus, quasi destitutæ viduæ vocibus cum Propheta dico: Qui consolabatur me, longè recessit à me. Quod verò causæ, & nominis similitudinem faciendo, per scripta vestra clausulas, declamationesque formatas, certè frater charissime, simiam leonem vocas. Quod eo modo vos agere conspiciamus, quod nos scabiosos sæpe catulos, pardos vel tygrides vocamus. Ego enim, bone vir, quasi filios perdidisti, quia per terrenas curas recta opera amisi. Nolite ergo me vocare Noëmi, idest pulchrum: sed vocate me Maram, quia amaritudine plenus sum. Quod autem me dicitis scribere non debuisset, ut in agro Dominico cum bubalis non arares, quia in ostenso Beato Petro linteo, & bubali, & omnes feræ oblatæ sunt: scis ipse quia subunctum est: Macta, & manduca. Tu ergo, qui easdem bestias necdum mactaveras, cur jam manducare per obedientiam volebas? Aut nescis, quia easdem quas scripsisti bestias, oris tui gladius occidere recusavit? Quas ergo per compunctionem occidere potueris, de illis necesse est, ut in tui desiderii fame satieris. De causa autem fratrum nostrorum, ut scripsisti, ita futurum, si Deus adjuvet, æstimo: de qua modo serenissimis rerum Dominis scribere omnino non debui; quia in ipso initio non est à <sup>b</sup> questibus inchoandum. Sed dilectissimo filio meo Honorato Diacono scripsi, ut opportuno tempore eis congruè suggerat, & mihi responsum sub celeritate indicet, domnum Alexandrum, domnum Theodorum, filium meum Marinum: domnam Eufiriam, domnam Eudochiam, & domnam Dominicam, meam peto vice salutari.

## NOTÆ.

I. <sup>a</sup> *Dem.*] In hac sexta collectione legitur *Variensi*. Gibalinus hic retinet *Vurvariensi*. In prima verò collectione sub hoc tit. c. 5. legitur *Pamei*: sed veram inscriptionem, & integram litteram restituo ex ipso Registro Gregorij Magni, ubi lib. 1. epist. 6. repositur textus hic.

<sup>b</sup> *Questibus.*] Tam in prima, quàm in hac sexta collectione legitur *questionibus*, unde communiter repentes in præsentem docuerunt, non esse à questionibus, idest à tormentis in iudicijs incipiendum: sed vera mens Gregorij Magni est, non esse à questibus, idest à querelis, inchoandum, ut ex ipsa epistola aperte deducitur.

## CAPUT